



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 52. Contentio circa corpus S. Augustini Ticini repertum a Benedicto XIII.  
Papa dirempta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

postquam in mortali carne annos æta-  
 tis septuaginta quatuor, Sacerdotii Sæc. XVIII.  
 quinquaginta tres, & Episcopatus sui A. C. 1728.  
 triginta duos, & dies viginti quinque  
 transegerat, ac sibi, Deoque satis,  
 communi vero proborum voto ac de-  
 siderio parum vixit.

§. LII.

*Contentio circa corpus S. Augustini  
 Ticini repertum a Benedicto  
 XIII. Papa dirempta.*

Fluxerat annus sæculi decimi septimi Bullar.  
 nonagesimus quintus, quo in Ec- magn. Const.  
 clesia S. Petri in cælo aureo Ticini sarco Bened.  
 phagus reperiēbatur, in quo inclusa Tom. X.  
 erat arca argentea, cui inscripta erant pag. 385.  
 hæc verba: *Corpus Augustini.* Consul-  
 tis igitur antiquitatum monumentis,  
 omnique adhibita, quæ poterat, dili-  
 gentia Ticinensis Episcopus in hac arca  
 exuvias S. Augustini Hipponensis Epi-  
 scopi atque Ecclesiæ Doctoris contineri  
 censuit; & quamvis per integrum quin-  
 quennium non pauci varia dubia, ac  
 difficultates movissent, nihilominus re  
 novo examini subjecta triginta & unus  
 S. Scripturæ & Canonum Doctores con-  
 futatis aliorum argumentis sententiam  
 suam pro iisdem S. Reliquiis confir-  
 mabant. Nec tamen propterea ex-

Tt 5

tincta

Sæc. XVIII. A. C. 1727. tincta erat hæc controversia, etsi omnes Ticinenses Episcopi continuata serie declarassent, constare, quod Corpus præfato anno repertum, revera sit illud D. Augustini Hypponenfis. Cum ergo Benedictus XIII. Pontifex debitum honorem Sancto huic Doctore ob plurimum oppositiones haud deferri doleat, die vigesima tertia Januarii Francisco Ticinensi Episcopo injunxit, ut recognitis actis, auditis testibus, cunctisque ad Concilii Tridentini præscriptum observatis, quid judicandum censeret, Romam perscriberet: Paruit Episcopus, & tandem die decima sexta Julii in Episcopali suo Palatio solemniter rursus declaravit, *constare, Corpus Anno 1695. inventum, esse Corpus S. Augustini Ecclesie Doctoris, ideoque pro tali esse colendum.* Hoc facto Episcopus omnia acta Romam transmisit, quibus sedulo recognitis, ac unanimi suffragio approbatis Pontifex hoc Episcopi iudicium die 22. Septembris solemniter Constitutione approbavit; cum autem in præfata Bulla Historia translata & reperti Sacri hujus Corporis exacte describatur, illam huc integram referre, haud injucundum erit. „Probatissimis, inquit Pontifex, literarum monumentis „constat, Vandalorum persecutione in „Africanam Ecclesiam excitata, san- „ctissimi-

„tissimos illarum partium Episcopos, Sæc. XVIII.  
„& fidei Catholicæ Confessores, in Sar- A. C. 1728.  
„diniam exilio damnatos, Corpus exi-  
„mii Doctoris sub finem Sæculi V. se-  
„cum in eandem insulam transtulisse,  
„ibique usque ad initium Sæculi VIII.  
„Christiana, id est maxima, religione  
„custoditum. Tunc enim Saracenis,  
„qui in Sardiniam irruerant, loca Sa-  
„cra impie fædantibus, Luitprandus  
„Longobardorum Rex sanctarum Au-  
„gustini Reliquiarum pietate motus,  
„per Legatos a se illuc transmissos,  
„magno eas pretio redimendas, & Ti-  
„cinum, quæ alias Papia dicitur, sa-  
„cra pompa transferendas curavit, ubi  
„in Confessione ædis sancti Petri in  
„Cælo aureo, tunc primum ad hoc  
„unum jussu Regis extructa, Augu-  
„stiniani Corporis thesaurus debito  
„tanto Patri honore depositus fuit, po-  
„pulisque devotionis causa usque ad  
„nostram ætatem illuc undique con-  
„fluentibus, in ejusdem Confessionis  
„crypta inter puteum, aqua salutari  
„manantem, & altare inferius piissimo  
„studio servatus est. Tandem vero die  
„1. Octobris Anni Domini MDCXCV.  
„albus marmoreus sacrophægus sub  
„mausoleo lateritio ibidem loci de-  
„tectus, inque eo sacratissimæ Augu-  
„stini exuviæ, in arca argentea clausæ,  
„re-

Sæc. XVIII. „repertæ fuerunt, quæ omnia coram  
 A. C. 1728. „plurimis testibus canonice comprobata  
 „per curiæ episcopalis ministros & actua-  
 „rios, in processus & commentarios,  
 „publica auctoritate munitos, & sum-  
 „ma fide conscriptos, tunc digesta, per-  
 „que totum quinquennium adversus  
 „quorundam dubitationes non segniter  
 „agentibus fratribus Eremitis Ordinis  
 „sancti Augustini, qui in eadem sancti  
 „Petri Basilica æque ac Canonici regu-  
 „lares Congregationis Lateranensis al-  
 „ternis mensibus Divina officia persol-  
 „vunt, disceptata fuerunt, donec unus  
 „& triginta sacræ paginæ, & decreto-  
 „rum Doctores pro iisdem Augustini  
 „Reliquiis sententiam suam, mira con-  
 „sensione firmatam, scripto ediderunt.

„Quum vero ad audientiam no-  
 „stram pervenisset, ob non extinctas  
 „& abolitas iudicio episcopali Ticinen-  
 „sium Præsulum ejusmodi dubitationes  
 „venerandos tanti Doctoris cineres,  
 „quasi incertos, sine debito honore  
 „habitos, nos rei gravitate perculsi, li-  
 „teras nostras sub annulo piscatoris die  
 „23. Januarii hujusce anni ad Venera-  
 „bilem Fratrem Episcopum Ticinensem  
 „dedimus, ei serio injungentes, ut Ju-  
 „dicium de invento illic sancti Augu-  
 „stini Corpore ulteriori dilatione sub-  
 „lata, secundum Deum, & veritatem,  
 „cete-

„ceteris quæſtionibus de alio corpore Sæc. XVIII.  
 „inveniendo remotis, ad finem perdu- A. C. 1727.  
 „ceret: illi præterea mandantes, ut  
 „cavillationibus eorum, qui decisio-  
 „nem, ac definitionem hujusce cauſæ  
 „impedire tentaffent, etiam per Ec-  
 „cleſiaſticas Cenſuras occurrere debe-  
 „ret, utque illis, a quibus cauſa cõ-  
 „gnoscenda eſſet, iisdem adhibitis, ſi  
 „opus eſſet remediis, ediceret, ne ul-  
 „lis officiis, commendationibus aut  
 „partium ſtudiis obſequerentur; ſed  
 „ſolum Deum veritatis præ oculis ha-  
 „berent. Et ne in re tanta definienda  
 „novis procrastinationibus locus eſſe  
 „poſſet, bimeſtre tempus huic iudicio  
 „conficiendo præfiximus. Has vero  
 „litteras dilectus Filius Fulgentius Bel-  
 „lelus Prior generalis Fratrum Eremitarum  
 „totius Ordinis ſancti Auguſtini,  
 „cænobio juxta prædictam ædem ſancti  
 „Doctõris, alias ſancti Petri in Cælo  
 „aureo, Ticini conſtitutus, ipſi Epi-  
 „ſcopo per dilectos Filios Joſephum  
 „de Gregoriis a ſancto Elpidio, & Alyo-  
 „ſium de Bellagente Ticinẽſem, Fra-  
 „tres Eremitas ejusdem ordinis, tan-  
 „quam ſpeciales Procuratores in hac  
 „cauſa a ſe deputatos, præſentari cu-  
 „ravit: Epiſcopus Ticinẽſis acceptis  
 „litteris noſtris, & juridice vocatis vo-  
 „candis, qui olim pro identitate ſacri  
 „Cor-

Sæc. XVIII. „Corporis declaranda, nomine eorum-  
 A. C. 1728. „dem Fratrum Eremitarum, in me-  
 „morato cænobio degentium, vocati  
 „fuerant, inspectisque actis, in eadem  
 „caussa a mense Octob. Anni MDCXCV.  
 „usque ad mensem Martium Anni  
 „MDCXCIX. pariter factis, nec non  
 „juribus, documentis, testium depo-  
 „sitionibus, aliisque monumentis & scri-  
 „pturis, tunc & subsequentibus annis  
 „publica auctoritate exaratis; com-  
 „pluries etiam Theologis, sacrorum-  
 „que canonum interpretibus coram se  
 „congregatis, quos ex piis doctisque  
 „viris ad præscripta sacrosancti Con-  
 „cilii Tridentini, in Consilium sibi ad-  
 „hibendos, delegerat, quibus pœnas,  
 „in iisdem literis nostris expressas, in-  
 „dixit, singula causæ momenta at-  
 „tente discussa & mature considerata  
 „fuerunt. Tandem vero idem Episco-  
 „pus die 25. Junii unacum iisdem suis  
 „hac in causâ consiliariis, ab sese de-  
 „lectis, coram Fratribus Eremitis Au-  
 „gustinianis, & Canonicis regularibus  
 „Lateranensibus sacrum Corpus in Con-  
 „fessione repertum Anno 1695. post re-  
 „citatum ad aram maximam hym-  
 „num. *Veni creator Spiritus*, ex Con-  
 „fessione in capsâ clausum ad eandem  
 „Aram per sex presbyteros inter ac-  
 „censa funalia reverenter perlatum ex-  
 „acte

„acte & sedulo visitavit diebus 25. & Sæc. XVIII.  
 „26. Junii adhibitis ex peritioribus ci- A. C. 1728.  
 „vitatatis Anatomes professoribus, jure-  
 „jurando de veritate dicenda obstrictis,  
 „qui singulas sacri Corporis Partes stu-  
 „diose recognoscentes, *os brachii sinistri*  
 „ab humero ad cubitum, atque aliud,  
 „quod *atlas* vocatur, deesse animad-  
 „verterunt: quorum primum Ticini a  
 „felicis memoriæ decessore nostro Be-  
 „nedito Papa VIII. beato Egelnotho  
 „Primate Cantuariensi dono traditum  
 „fuerat; alterum vero in Dalmatia ser-  
 „vatur in thesauro sacrarum Reliquia-  
 „rum metropolitanæ Ecclesiæ Ragusi-  
 „næ. His peractis, sacroque deposito  
 „in pristinum Confessionis locum ea-  
 „dem cæremonia restituto, idem Epi-  
 „scopus Ticinensis solemnes supplica-  
 „tiones, aliasque publicas & assiduas  
 „preces, ad divinam opem, pro recto  
 „judicio secundum Deum & veritatem  
 „ferendo, impetrandam, indixit, qui-  
 „bus devote cum utroque Clero & po-  
 „pulo civitatis interfuit; visisque tan-  
 „dem omnibus videndis, & considera-  
 „tis considerandis, congregatisque ite-  
 „rum coram se sacræ Theologiæ ma-  
 „gistris, & canonum professoribus,  
 „quos, uti jam diximus, ad sanctio-  
 „nes Concilii Tridentini antea in Con-  
 „siliium vocaverat, quique decem, &  
 „se-

Sæc. XVIII. „septem numero pro veritate, atque  
 A. C. 1728. „identitate Reliquiarum sancti Augu-  
 „stini unanimum sententiam tulisse me-  
 „morantur, ipse coram dilectis filiis  
 „Priore generali totius ordinis Fratrum  
 „Eremitarum sancti Augustini & Præ-  
 „posito Canonorum regularium  
 „Congregationis Lateranensis, atque  
 „aliorum complurium, qui illuc, su-  
 „premum hac de re episcopale judi-  
 „cium audituri, convenerant, post  
 „missæ sacrificium de Spiritu Sancto ce-  
 „lebratum, solum Deum veritatis præ-  
 „oculis habens, hoc eodem An. 1728.  
 „indictione VI feria VI. die XVI. men-  
 „sis Julii hora tertia in Episcopio  
 „pro tribunali sedens, hoc decretum  
 „cum plena causæ cognitione pronun-  
 „tiavit. „

*Christi nomine repetito, per hanc no-  
 stram definitivam sententiam dicimus, pro-  
 nunciamus & declaramus, satis constare,  
 corpus inventum in confessione templi sancti  
 Petri in Cælo aureo hujus civitatis die  
 prima Octobris Anni MDCXCV. & nu-  
 per per nos recognitum, ac sigillo nostro  
 munitum, esse Corpus sancti Augustini Ec-  
 clesie Doctoris, ideoque pro tali esse co-  
 lendum, & publicæ fidelium venerationi  
 exponendum. D. Franciscus Episcopus  
 Papiensis.*

Reci-

Recitato hujus caussæ progressu, Sæc. XVIII.  
 atque Episcopi judicio Pontifex de vindicatis S. Augustini exuviis mirifice A. C. 1728.  
 lætus Episcopi sententiam auctoritate  
 Apostolica confirmavit, hæc effatus:

„Nuntio tam sancti, tam gravis &  
 „maturi judicii episcopalis ad nos per-  
 „lato, præ gaudio exsiliit cor no-  
 „strum, summaque lætitia perfusi gra-  
 „tias Deo egimus, quod suam gloriam  
 „in sancti Augustini exuviis Canonice  
 „vindicatis augere voluerit, quem ob  
 „sanctimoniam, atque intemeratam  
 „Doctrinæ excellentiam, ut fulgentis-  
 „simum Ecclesiæ lumen, Innocentius,  
 „Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Ge-  
 „lasius, Hormisdas, aliique decesso-  
 „res nostri Romani Pontifices magno  
 „semper in honore habuerunt, nos-  
 „que ipsi, ut parentem æque, ac ma-  
 „gistrum veneramus, utpote cujus re-  
 „gulam, & doctrinam in nostro Præ-  
 „dicatorum ordine a primis adolescen-  
 „tiæ annis professi sumus, & favente  
 „Deo profitemur. Ut autem nostrum  
 „juxta, ac totius Ecclesiæ gaudium  
 „ubique diffunderetur, per literas  
 „nostras universis Christi fidelibus in-  
 „scriptas die 4. Augusti, omnibus &  
 „singulis utriusque sexus, vere poeni-  
 „tentibus & confessis, qui aliquam ex  
 „Ecclesiis tam Fratrum, quam foro-  
 „Hist. Eccles. Tom. LXXII. Ua „rum

**Sæc. XVIII.** „rum ordinis Eremitarum sancti Augu-  
**A. C. 1728.** „stini, ubicumque existentem, die, per  
 „Ordinarios locorum designando, visi-  
 „tassent, atque ibi pro Christianorum  
 „Principum concordia, hæresum ex-  
 „tirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ  
 „exaltatione pias ad Deum preces ef-  
 „fundissent, plenariam omnium pecca-  
 „torum indulgentiam & remissionem  
 „concessimus; dieque subsequenti alias  
 „litteras dedimus ad Episcopum Tici-  
 „nensem, ipsius pietatem, & fidem lau-  
 „dantes, quod omnem dubitationis  
 „nebulam de veritate Corporis sancti  
 „Augustini tam accurato examine dis-  
 „sipare studuisset; districtè interdicen-  
 „tes sub pœna excommunicationis latæ  
 „sententiæ, ne quis auferre, asportare  
 „aut distrahere quamlibet sacratissimi  
 „ejus depositi particulam auderet. Sub-  
 „inde in die festo ejusdem Ecclesiæ  
 „Doctoris 28. Augusti ad ejusdem Ti-  
 „tulum & cænobium Fratrum Eremi-  
 „tarum nos ipsi accedentes, in illius  
 „honorem sacrosanctum missæ sacrifi-  
 „cium ritu pontificali celebravimus, ad-  
 „sistentibus nobis venerabilibus Fratri-  
 „bus nostris S. R. E. Cardinalibus, Pa-  
 „triarchis, Archiepiscopis & Episcopis;  
 „post peracta divina mysteria in gratia-  
 „rum actionem pro sancto ejus Cor-  
 „pore luculenter & Canonice compro-  
 „bato

„bato, hymnum, *Te Deum*, Christia-  
 „næ lætitiæ prænuncium solemnæ Cæ-  
 „remonia præcinentes, in trinis per-  
 „sonis unum Deum collaudavimus.  
 „Ne vero ex pastoralis officii debito  
 „erga sanctarum Augustini Reliquia-  
 „rum conservationem & venerationem  
 „a nobis quidquam prætermittatur,  
 „quascumque dubitationes, contro-  
 „versias, causas & lites de Corpore  
 „sancti Augustini quomodolibet exor-  
 „tas sive introductas, illarumque jura,  
 „scripturas & titulos omnes præsentibus  
 „pro plene expressis habentes, &  
 „quatenus opus sit, ad nos evocantes,  
 „prorsus extinguimus & abolemus &  
 „perpetuum silentium super illis impo-  
 „nimus. Et ne unquam futuris tem-  
 „poribus de prædicto episcopali iudicio,  
 „ad sanctiores Ecclesiæ regulas abso-  
 „luto, possit quomodolibet hæsitari,  
 „ad submissas preces dilecti Filii Felicis  
 „Leoni totius ordinis eorundem Fra-  
 „trum Eremitarum Procuratoris Ge-  
 „neralis, ejus libello supplici nobis  
 „porrectas, piæ recordationis Ante-  
 „cessoris nostri Martini Papæ V. vesti-  
 „giis inhærentes, qui translationem  
 „Corporis beatæ Monicæ, venerabilis  
 „Augustini matris, ex civitate nostra  
 „Ostiensis ad hanc eandem Ecclesiam  
 „Domus Fratrum dicti ordinis Eremitarum

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1728.

Sæc. XVIII. „tarum sancti Augustini factam, suis  
 A. C. 1728. „Apostolicis literis incipientibus, *Pia*  
 „*caritas*, adprobavit, nos quoque judi-  
 „cium Episcopi Ticinensis de veritate  
 „Corporis sancti Doctoris, ut apud  
 „Christifideles notius & manifestius e-  
 „vadat, ac devotio erga Augustinum  
 „magis inflammetur, tenore præsen-  
 „tium ratum & gratum habentes, ex  
 „certa scientia, atque etiam motu pro-  
 „prio, Apostolica auctoritate unde-  
 „quaque adprobamus & confirmamus,  
 „& perpetuis futuris temporibus fir-  
 „mum semper & validum esse & fore  
 „decernimus, non obstantibus quibus-  
 „cumque. „

Hæc tamen Pontificis declaratio non obstabat, quominus quidam Italo sermone libellum, cui titulus: *Motiva negandi Corpus S. Augustini fuisse reperi- tum*, Anno 1731. publici juris faceret, & majore, quam decuisset acerbitate, refelleret Justum Fontaninum, qui eruditam *dissertationem de corpore S. Augustini Ticini reperto*, hoc Anno 1728. Romæ ediderat.

§. LIII.

*Passaviensis Ecclesia a jure Metro-  
 politico Salisburgensis Archi-  
 episcopi exempta.*

Ingens